

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliæ  
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>  
Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Humanum dico propter infirmitatem Ro. 6 .

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

falsa pietate dixerunt: post iudicium dæmones es  
se soluendos. Sicut enim æternum regnum prepa-  
ratum est sanctis, ita æternum supplicium repro-

**Mat. 25.** bis, domino dicente: Ite maledicti in ignem æter-  
num, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et

iterum: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti au-  
tem in uitam æternam. Hinc per Salomonem di-  
citur: Lignum in qua cunq; parte ceciderit, siue ad

Ecclesiast. 19. austrum, siue ad aquilonem, id est, siue in infernum,  
siue in regnum dei, ibi erit.

### DOMINICA VIII. POST PEN TECOSTEN, ad Romanos VI.

Fratres, Humanum dico propter infirmi-  
tatem carnis uestræ &c.

**Q**uid est hoc quod dicit Apostolus, Hu-  
manū dico: Hoc est, leue & ad complendum fa-  
cile. Ac si diceret alijs uerbis: Quia carnales  
adhuc estis, non potestis propter fragilitatem car-  
nis maiora præcepta ferre & implere, idcirco le-  
uia præcepta uobis committam. Quid enim tam  
facile, ut Origenes dicit, quid tā leue, quam ut sit  
homo ita promptus ad iustitiam & ad dei uolun-  
tatem complendam, sicuti ad mala opera solet es-  
se promptus. Multo magis. siquidē leuius potest  
uirtutibus deseruire quam uitijs, & dei uolunta-  
tem implere quam diaboli. Videamus qmodo, &  
dicamus pauca & pluribus. Est quilibet latro, &  
quilibet alias iustitia propria uiuens, non de rapi-  
na. Dum latro cruciatur gelu & frigore, & super  
fluis meditationibus per dies & noctes torque-  
tur, uiuens in animo, expectans in agro, quomodo

do furtum perficiat: iustus securus epulatur in die de labonibus proprijs, & quiete noctis cum securitate delectatur. Et dormiente iusto somno gratissimo, plerunque ille q̄ gelu frigoris & inedia famis torquetur, occiditur ab his, q̄bus uim inferre molebatur. Similiter qui adulterium perpetrat, timet superuenire maritum & interfici ab illo, timeret etiam uicinos propter famā malam. Econtra castus & amator proprij cōnubij, securitate seruat castitatem suā, uel etiam secure amplectitur, p̄primum cōnubium. Quapropter subiungit Apostolus: Sicut, inquit, exhibuistis, id est, præparasti, membra uestra scruire immunditiae, id est, libidini, fornicatiōi, impudicitiae [& iniquitatē] sub auditur seruire [ad iniquitatem] perpetrandam, [ita nunc exhibere mēbra uestra seruire iustitiae] omnibus uirtutibus [in sanctificationem.] uide licet ut sancti esse possitis, secundū qđ deus omnipotens p̄cipit: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Leu. 11. & 19. Per iniquitatem debemus intellgere omnia peccata: quia quicquid contra legem dei agitur, iniquitas nuncupatur. Per iustitiam uero, omnes uirtutes. Et est sensus: Sicut uos præparasti antequā ad fidem vocati essetis, ut seruiretis omnibus immunitatijs: ita nunc in fide iam consistentes, præparate omnia membra & omnes sensus corporis uestri, quomodo seruiatis omnibus uirtutibus.

Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiae. ] Sicut qui seruit peccato & diabolo, eius seruus est cuius uoluntatem adimpleret. sic qui seruit iustitiae, seruus est iustitiae & dei. Qui em seruit furto & adulterio, seruus est adulterij & fur-

ti. Sed hoc sciendum, quia seruum esse iustitiae, laudabile est: liberum vero esse a iustitia, non est laudabile. Ita seruum esse peccati, detestandum est, liberum autem a peccato, laudandum.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis? Iubauditur turpitudinibus peccatorum,

in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum, mors est.] Romani antequam ad fidem domini uenirent, omnibus uitios omnibusque turpitudinibus seruiebant, quae etiam turpe est dicere. Sunt tamē ab Apostolo in hac epistola iam superius commemorata.

Rom. 1.

Venientes ad fidem, erubescabant ac uere cundabantur non solum in facto, sed etiam in recordatione eorum. Vnde Apostolus uolens eos confirmare, ne ad illa reuerterentur, aiebat Dicite mihi, quem fructum (id est, quam remunerationē bonam) habuistis in illis turpitudinibus, in quantum recordatione & memoria nunc erubescitis & uere cūda mini? Nam finis illorum, id est, consummatio illorum peccatorum, mors æterna est, quando homo in peccatis criminalibus moritur & terminū uitæ facit. Finis peccatorum mors est illi, quia mortem æternā inde accipit. De talibus dicit Propheta. Computuerunt iumenta in stercore suo. Iumenta appellantur homines, qui irrationaliter uiuant sine honestate moris & cōuersationis. Iumentaque in stercore computrescere, est infectore luxuriae & turpitudinibus uitiorum uitā finire.

Ioc. 1.

Nunc uero liberatia peccato per passionem Christi, per aquam baptismatis seruit facti deo, qui ante eratis servi diaboli, habetis fructum uestrum in sanctificationem.

**A** opus uestrū ē, & sanctificationē uobis p̄curat,  
finem uero uitam ēternam.

id est, consummationem operū uestrorum habe-  
tis uitam ēternam, quia uitam ēternam pro per-  
seuerantia uestra percipietis.

**S**tipendium enim peccati.

id est, remuneratio peccatorum [mors] ēterna est,  
Non tamen de omnibus peccatis intelligendū est,  
sed de criminalibus, de quibus dicit Iohannes: Et <sup>n</sup> Ioh. 5,  
peccatum ad mortē: non pro hoc dico ut quis ro-  
get. Antiquitus enim potius ponderabatur pecu-  
nia, quam numerabatur. Vnde militibus pro uita  
regis & gubernatione patriæ militantibus, stipen-  
dium (hoc ē, substantia & remuneratio) ex publi-  
co & rario tribuebatur. Et sicut illis remuneratiōis  
causa stipendium dabatur, ita militantibus diabo-  
lo dabitur mors ēterna pro remuneratione.

**G**ratia autem dei, uita ēterna in Christo  
Iesu domino nostro ] Quid est, quod loquens de  
remuneratiōe peccati, stipendiū nominauit ipsam  
remuneratiōe: & de remuneratiōne electorū di-  
xit, gratia dei? Ideo, quia illi qui militat, propriam  
mercedē accipiunt. Quicquid autē electi habent,  
totum a gratia dei accipiunt, siue fidē, siue charita-  
tem, seu aliquod bonum opus habeant: & insuper  
pro gratia ista fidē & bonorum operum, accipiēt  
gratis a deo uitam ēternam per adiutorium Iesu  
Christi, sine quo nihil boni habere possumus.

**D**OMINICA VIII. POST

Pentecosten. Marci VIII.

In illo tempore Cum turba multa esset  
cum Iesu, nec haberēt quod manducarent,

AA